

FK 131

X 1883 280

II n
2559a

17

DEO ADJUVANTE
 Ex Indulgentiâ
 SERENISSIMI Ac POTENTISSIMI
 ELECTORIS
 BRANDENBURGICI
Felicitatem Subditorum

Brandenburgicorum ob emendatum per
 Edicta Electoralia statum Ecclesiasti-
 cum & Politicum,

Summis lineis adumbratam,

Publicæ ac Placide

Eruditorum disquisitioni
 proponunt

CHRISTIANUS THOMASIUS,

Jctus & Consil. Elect. Brandenb.

& Respondens

Friderich Emich Ram/ Tonna-Thuringus,

LL. Studiosus.

Halæ Saxonum

ad diem 23. Augusti 1690.

Horis antemerid. à 9. ad 12.

in Ædibus Publicis à ponderandis
 mercibus denominatis.

Typis CHRISTOPHORI SALFELDI, Typographi
 Regim. Electoral, Magdeb.



DEO ADIVANTE

Ex Indulgentijs

SERENISSIMAE POTENTISSIMAE

ELECTORIS

BRANDENBURGICI

Palatini & Archiepiscopi

Brandenburgicorum obsequium

Edictum de

com & Potentissimae

Majestatis

Publicae

Instructionis

pro

CHRISTIANUS THOMAS

Electo & Archiepiscopo

Brandenburgico

in

com

Brandenburgico

Brandenburgico

Brandenburgico

in

Brandenburgico

CHRISTIANUS THOMAS

Electo & Archiepiscopo

Brandenburgico

Brandenburgico

Brandenburgico

SERENISSIMO & POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO III.
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
SACRI ROMANI IMPERII
ARCHICAMERARIO & ELECTORI,
PRUSSIAE, MAGDEBURGI, JULIAE, CLIVIAE,
MONTIUM, STETINI, POMERANIAE, CASSU-
BIORUM VANDALORUMQUE, NEC NON
IN SILESIA CROSNÆ & SCHWIBUSÆ
DUCI,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI
HALBERSTADII, MINDÆ, & CAMINI,
COMITI
DE HOHENZOLLERN, MARCAE
& RAVENSBURGI,
DOMINO IN RAVENSTEIN, LAUEN-
BURG & BUTTAW, &c.
DOMINO NOSTRO CLEM-
MENTISSIMO.




SERENISSIME
ET POTENTISSIME
ELECTOR

DOMINE CLEMENTISSIME.



Ostulat officium boni Principis, ut in pace de bello cogitet, id est, ut in statu quieto animi sui curas eo intendat, non quomodo vicinis absque justa causa bellum inferat, sed quomodo Rempublicam, cui praest, ab insidiis & invasionibus vicinorum reddat securam. Postulat equidem & circa bellum Principis officium, ut hoc ita suscipiatur,

tur, ita geratur, ut nihil aliud nisi pax quaesita esse videatur; at ut in bello Princeps de pacis negotiis serio cogitet, & quomodo felicitas subditorum legibus, literis, commerciis augeri queant, meditetur, id quidem communes imperii recte instituendi regulas videtur superare, cum turbæ bellum perpetuo comitantes, & omnes sollicitudines Principis distrahentes, facile Eundem excusare possint, si momenta regiminis quietum animum postulanti paulisper seponat. Et oportet profecto divino, vel si magis Christianè loqui velimus, singulari & extraordinario animo esse præditum Principem, qui mediis in turbis de quietis negotiis cogitet. Non alio tamen, CLEMENTISSIME ELECTOR, quam quo TE beavit Divina Providentia. Qui perturbationibus animæ, quæ in media quiete & otio nos inquietos reddere solent, superior est, is non mirandus est, quod maximos labores maximâ quiete & absq;



tate animi sustineat. Qui de turbis intrinsecis triumphavit, causam nullam sentit, cur metuat exteriores. In laudibus Trajani sui ponere non vult Plinius, quod adventum ejus non pater quisquam, non maritus expaverit, cum affectata aliis castitas, ipsi ingenita & innata, & sic inter ea, quæ imputari non possunt, fuerit. At cum idem & de TE, POTENTISSIME ELECTOR, absque adulatione asserere possumus, nil præcipui hæc parte præcipuus alias & incomparabilis Romanorum Imperator habet. TU verò Trajanum in eo superas, quod armatus de restauranda intra Rempublicam sapientia, vitaque virtuosa sis sollicitus. Equidem sub Trajano spiritum, & sanguinem & patriam recepisse studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis punivisset, quæque sibi, vitiorum omnium conscius Princeps Domitianus, tanquam vitiiis inimica relegasset, testis est idem Plinius, sed fiebant ista pacis
tem-

tempore. At TU, PRINCEPS OPTIME, inter arma & tormenta meditaris, quomodo vera eruditio & studia Reipubl. utilia, quæ hucusque ab umbratili sapientia & studiis ineptis, sedibus suis expulsa, ferè ex Germania exulaverunt, in provinciis TUIS pristino nitori & Gloriæ possint restitui. Neque tamen & hoc in laudibus Tuis numerabimus, cum idem pariter, ut reliquæ virtutes, quibus splendes, nativæ magis bonitati, quàm perfectioni, difficili culturâ acquisitæ, adscribi mereatur. Liceat tamen inter felicitates nostras numerare, quod nobis ex singulari DEI Clementia contigerit, sub Tutamine TUO vivere, sapientiæquæ veræ sub Protectione TUA quietos incumbere. Liceat cum Pace TUA, PATER PATRIÆ, quem de Felicitate subditorum TUORUM conscripsimus discursum Academicum ad pedes TUOS humillima animi submissione deponere. Primus ille est, qui per modum disputationis publicæ eò in locò est propositus, quem TU, POTENTISSIME ELECTOR privilegiis Academicis decorare constituisti. Primus est, quò SERENITATI TUAE enixissimam serviendi cupidinem minima ex parte saltem declarare potuimus. Illud injunxit nobis, non alii, quàm FUNDATORI ACADEMIAE primitias Academicas offerre; Hoc sperare nos iussit, subjectissimi animi nostri primitias à CLEMENTISSIMO PRINCIPE serena fronte acceptum iri. De cætero, uti infinitæ circumstantiæ subditos TUOS fidelissimos firmiter persuadent,

dent, SANCTISSIMAM TUAM PERSONAM
à DEO ad maxima Divinae providentiae opera & in
Politia & Ecclesia perficienda, & ad tranquillita-
tem, quae in Imperio Romano, quae praecipue in di-
tionibus TUIS, stabiliendam esse destinata; ita
vovemus serio, velit Divina Benignitas triumphos
TUOS accelerare, TEQUE Salvum & Incolumen
SERENISSIMAE AUGUSTAE, & omnibus
bonis, qui maximam suam felicitatem in felicitate
Principis sui ponunt, quam proximè reddere.
DEUS TE SERVET!

POTENTISSIMAE SERE-
NITATIS TUAE,

Humillimè

subjectissimi

PRÆSES & RESPONDENS.



B. C. D.

*De Felicitate Subditorum Branden-
burgicorum ob emendatos per Edicta Electo-
ralia status, Ecclesiasticum & Politicum,
Dissertatio Academica.*

§. I.



Ivimus in seculo, in quo quidem magna eorum turba deprehenditur, qui Christianorum nomine appellantur, sed paucissimi tamen existunt, qui sanctum hunc characterem vitæ decente exprimunt, ut adeo, etsi face accensâ in medio Christianismo Christianum quærerere velis, vix tamen unum & alterum, & hunc quidem in obscuris locis latentem invenire queas. Et tamen latè quidem regimen suum exercet impietas, ut omnes tres precipui status, ex quibus componitur respublica, poculo ejus quoad potissimas partes ferè sint inebriati. Inter Politicos luxuria, prodigalitas, intemperantia, injustitia, &c. sub emendicatis virtutum titulis sanctitatem conculcant. Status Ecclesiasticus magnam partem vitæ exemplo scandalum perniciosissimum aliis præbet, ac si Christiana humilitas cum arrogantia, abnegatio sui cum cupiditate divitiarum, & mansuetudo cum immortalibus rixis consistere possent. Quid adeo mirum, si oves, hoc est ii, qui statum Oeconomicum constituunt, pastorum suorum, quæ Politicorum, quæ Spirituum ductum sequentes in viâ latâ incedant, quæ ad gehennam ducit? Uti verò per DEI gratiam rarissima quidem exempla, sed exempla tamen piorum hominum in hac mundi fœce adhuc vivunt, qui Spiritus Sancti illuminatione regenerati virtutibus Christianis magno conatu impendunt operam, ita & Clementissimum Numen

*Omnes tres
status in Re-
publicâ impietate infecti &
mandationis
indigent.*

A

subinde

subinde Principum corda dirigit, ut omnibus viribus impietati latius grassanti remoræ per eos ponantur, & defectus hâc parte maximè notabiles emendentur.

§. II.

Non tamen
commodè ini-
tium fieri pot-
est à statu Oe-
conomico,

Qua quidem in re, si verum fateri volumus, maximum momentum in eo situm esse videtur, ut navi, quibus Status *Politicus* & *Ecclesiasticus* abundant, corrigantur, siquidem his in ordinem redactis, quamvis non contemnenda difficultas remansura sit emendandi statum *Oeconomicum*, longè facilius tamen res procedet, quam si ab iis, quibus sola parendi gloria relicta est, initium correctionis fiat, cum hoc pacto vel ex relatione, quæ est inter subditos & imperantes, & ex inclinatione communi humani generis ostendi queat, intentionem Legislatoris, quamvis optimam, tardissimos tamen progressus, & imò ferè nullos consecuturam esse. Scilicet natura nostra socialis est, & cum socialitate conjuncta est fortis inclinatio accommodandi nos ad actiones eorum, quos in societate amamus, easque imitandi. At in civitate cum periculosum & tranquillitati communi adversum sit, si subditis relinquatur potestas pro lubitu eligendi eos, quorum actiones imitentur, poscit natura societatis civilis, ut certæ personæ constituentur, quas populus amore reverentiali prosequi teneatur, & inde etiam suo modo instinctum sentiat, actiones suas ad exemplum earundem instituendi. Equidem natura communis societatis simul id inculcat, ut hîc semper excipiantur ejusmodi actiones, quæ voluntati Dei, utpote statoris omnis societatis, & cui quilibet homo amorem summum, & sic summam actionum suarum conformitatem debet, repugnent. Sed est tamen ita corrupta natura nostra, ut ea, quæ amare debeat, odio prosequatur, & rursus illa, quæ odisse optimum foret, maxime amet. Hinc, cum amor omnis fundetur in eo, quod in illo quem amamus deprehendamus magnam conformitatem cum inclinationibus nostris, & propterea etiam, quò major aut minor est ista conformitas, eò major quoque aut minor amor noster, & cum eo desiderium imitandi esse soleat; facile intelligi potest, cur subditi in civitate actiones hominum in statu Politico aut Ecclesiastico viventium, si voluntati divinæ conformes sint, tardissime imitentur, at si à norma hac sanctissima etiam remotissime recedant, maximò conatu suis actionibus exempla sibi data imitari & superare studeant, in tantum ut ab hac imitatione vix per vim maximam abstrahi aut deterreri possint. Accedit, quod ipsum rationis corruptæ dictamen eis argumentum suppeditet, non quidem adversus Deum, vel ad minimam excusationem valiturum; bene tamen κατ' ἀνθρώπων & adversus status Politici & Ecclesiastici proceres malis exemplis malas imitationes procurantes magnopere profuturum. Quid enim? ajent: inculcatis nobis quotidie obedientiam & reverentiam vobis exhibendam. Obedientia in conforma-
tione

tione actionum nostrarum cum voluntate vestra consistit, pariter & reverentia, nisi quod hæc metu pœnæ careat, si quid contra factum fuerit, ista verò metum hunc præsupponat. Jam signa voluntatis duplicia cum sint, verba & facta, in quæstionibus voluntatis factorum magis habenda est ratio, quam verborum. Potest lingua proferre dicta, à mente loquentis alienissima, at facta quæ spontè eduntur, non possunt non arctissimum nexum cum voluntate facientis habere. Similiter dum vos verbis alias actiones à nobis poscitis, alias factis propriis nobis monstratis, ratio nobis svadet, ut factis potius vestris credamus, Vos res istas pro bonis habere, quas actionibus vestris consequi intenditis, etiamsi verba vestra nobis persvadere velint, eas inter malas esse referendas.

§. III.

Respicit huc, quod in specie statum Politicum concernit vulgatus versiculus: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Cujus applicatio quam latè pateat, satis evidenter declarat praxis quotidiana. Neque enim solum in rebus indifferentibus, & iis, quæ ad decorum pertinent, usus loquendi, se vestiendi, ceremoniis certis in conversatione utendi ad exemplum aulæ & Regis instituitur, sed & crapulæ, commensationes, scortationes, adulteria, pejerationes, impune & sine pudore publice committi solent, si Aulici factis ejusmodi populo præeant. Et hæc est ratio genuina, cur tot leges Politicæ, coercionem luxus atque luxuriæ in victu & amictu concernentes, effectu prorsus omni hinc inde destituantur, quod aulici plerumque vel per modum privilegii hæc parte excipiantur, vel princeps postea, si personæ sub hoc statu viventes legi quid adversum committant, frequenter repetitis dispensationibus eas à vinculo legis eximat. E contrario non melior methodus reprimendi ac in ordinem aliquo modo redigendi luxus excogitari potest, quam si Princeps ipse exemplo suo aulicis, aulici verò reliquo populo præeant, & re ipsa ostendant, quæ differentia sit inter munditiem & luxum vestium, inter frugalitatem & prodigalitatem, denique inter hilaritatem & temulentiam, & ita in cæteris.

§. IV.

In statu verò Ecclesiastico mala exempla eò majus scandalum præbent, quo majorem sanctitatem hic status populo inculcare debebat. Intendit equidem Princeps bonus, ut subditi non solum actionibus externis secundum leges vivant, sed &, ut quoad motus internos boni efficiantur, sed cum tamen cogitationes mente retentæ non subint notitiæ aliorum hominum, neque etiam pacem atque quietem communem turbent, contentus esse cogitur Princeps, si modo subditi cogitationes illas peccaminosas reprimant, ne in actus exteriores erumpant, aut ne scandalum præbeant aliis, eosque exemplo suo ad similia perpetranda invitent. Unde in judiciis huma-

nis non magnoperè interest, ex amore virtutis quis à criminibus abstineat, an ex hypocrisi. At religio, cujus cura singularis statui Ecclesiastico demandata est, & maximè Christiana religio, urget internam cordis purificationem, à qua si alienos se esse demonstrent populo personæ Ecclesiasticæ, duorum malorum alterum necesse est, ut in Christianismum introducatur. Vel enim ad Atheismum perducuntur Auditores, vel pro vitiis saltem habebunt ea, quæ in foro humano coerceri solent, reliqua verò peccata summæ malitiæ vel res indifferentes esse arbitrabuntur, vel certè pro peccatis infirmitatis humanæ, quæ regenerati quoque quotidie agnoscunt, eadem venditabunt. Nam si ministri Ecclesiæ ejusmodi crimina committant, quæ inter homines pœnis coerceri solent, vel factis suis, ac si ea committant, justam præbeant suspicionem, & tamen verbis ea detestentur, ac de pœnis non solum humanis, sed & æternis multa dissestant ad populum, non poterit populus ferè aliter de iis sentire, quam quod ipsimet non habeant illa pro veris, quorum veritatem populo persuadere allaborant, quam sententiam postea prona semper ad malum insequi solet imitatio, Atheismum pariter theoreticum ac practicum exprimens. Quod autem peccata pœnis humanis non subjecta concernit, qualia sunt immodica pecuniæ, honorum, vindictæ, &c. cupiditas, quilibet qui non hospes est in vita civili deprehendet, maximam populi partem in eâ esse opinionem, virtuosum & Christianum quem esse, etsi his omnibus cupiditatibus sit infectus, modo ne actionibus suis exterioribus justam alteri de ipso efficaciter in judicio conquerendi præbeat occasionem; aut si maximè aliquid vitiosi sub iisdem lateat, id ad indelebiles humanæ naturæ infirmitates pertinere. Hujus autem perniciosi dogmatis causam si inquiras, deprehendes; potissimam in eo sitam esse, quod ii, qui contemptum gloriæ, vindictæ, divitiarum per commendationem humilitatis, mansuetudinis & sibi sufficientiæ inculcare debebant, magnam partem avaritiæ, ambitioni, contentionibus sint dediti, & eos, qui veræ Pietati operam dant, & abnegationi sui student, sæpius tanquam communes Christianismi hostes persequantur.

§. V.

maximè vero
ab Ecclesiastico,

Quamvis autem, ut hætenus vidimus Status Politicus pariter atque Ecclesiasticus emendatione præ statu Oeconomico habeant opus, ipsos tamen si inter se conferas, invenies, regulas bonæ methodi requirere, ut à statu Ecclesiastico correctionis fiat initium. Id e- quidem non est diffitendum, summæ potestati quoque Clerum subesse, & vitia aulæ, ac inter ea potissimum ambitionem ex aula in statum Ecclesiasticum, si quis confusè rem ponderet, derivata videri. Quod si verò exactius pensites, ab ipsis Regibus & Principibus personas Ecclesiasticas pro Dei Ministris haberi, hisque in statum Politicum

ticum competere potestatem spiritualement, quæ longè majorem reverentiam excitare apta est, quàm potestas Politica, ejusque abusus conscientis malè informatis absurdissimas res persuadere potest; imò si maximè consideres, ambitionem Cleri, avaritiam Ecclesiasticam, & potissimum (ipso Melanchthone conqverente) odium theologicum longè excedere vitia illa, quatenus personis politicis inesse solent; sua spontè seqvetur, omnem correctionem Status Politici esse frustraneam, si non emendetur Status Ecclesiasticus; at si ab hoc incipiatur, longè melius processuram esse postea extirpationem defectuum status Politici.

§. VI.

Cæterum competere hanc potestatem corrigendi nāvōs omnium trium statuum Potestati summæ dubium esse non potest; quæ tamen & ipsa ex corruptione universali provenientibus multis impedimentis communiter detinetur, ut non semper eandem ad votum omnium bonorum effectui dare possit. Quare maximam felicitatis suæ partem æstimabit populus, cui Principes contingunt, qui seriam dant operam, quò præcipui & præ reliquis eminentes defectus statuum Ecclesiastici & Politici extinguantur. Et o nos felices, qui sub imperio SERENISSIMI & POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI vivimus, utpote qui Deo insignes debemus gratias, quod Potentissimam domum Electoralem consiliis ejusmodi instruere voluerit, quæ ad restaurationem vitæ virtuosæ & Christianæ tendunt, & vires regni tenebrarum non parum debilitant, ut in Imperio Romano soli ferè gratulari nobis possimus de exemplis emendati ordinis Ecclesiastici & Politici sine exemplis.

§. VII.

Scilicet abnegationi sui ipsius & humilitati Christianæ cum nihil magis adversetur, quàm superbia & amor sui, non potuit Satanas majus damnum Christianismo inferre, quàm si illam imperandi aliis cupiditatem, quæ, Christo adhuc præsentem in terris, Apostolos, antequam Spiritus Sanctus in eos effunderetur, jam subinde tentaverat, stabiliret. Cum vero prioribus tribus post Christum natum sæculis quotidianæ ferè anxietates & frequentia martyria Christianos in ordine retinerent, & spiritus sumere prohiberent, mox in seculo quarto, postquam Imperatores Romani Christianam religionem professi, & observantiam suam erga Divinum Numen variis iisque splendidis in ministros Dei collatis beneficiis contestati essent, pedetentim oblitus est populus Christianus mansuetudinis & humilitatis, quas virtutes Christus suis tam seriò inculcaverat, & potentiâ atque opibus, quibus gaudebant abutentes potissimum ii, qui sacris ministeriis erant addicti, initio specioso Clericorum titulo, à reliqua populi parte, (quæ Laicorum nomine propterea appellabatur) ultra

A 3

quam

quam par erat se distinguentes, imperium non in actiones à voluntate dependentes (quod tolerari poterat) sed in intellectum hominis & cognitionem ejusdem (quæ nulli homini subjecta est) quærere cœperunt, & tandem omnimodo consecuti sunt, usque dum per divinam gratiam Reformatores excitarentur, qui jugum istud Clericorum in conscientias Laicorum abjicerent, & verbum divinum traditionibus humanis ferè obfuscatum ab istis spurcitiis purgarent, Clerum potestati Politicæ subjicerent, Laicos autem omnes in libertatem non omnimodam quidem, sed Christianam restituerent. Sentiens verò Princeps tenebrarum, quantum damnum ex ista reformatione regnum suum passurum esset, mox post mortem Reformatorem diffidia maxima, quorum semina quædam jam viventibus istis Heroibus venerandis jecerat, inter utriusque partis asseclas excitavit, eaque successu temporis ita auxit, ut Laicorum plurimi jure suo conqueri potuerint, se jugum, quod antea collo eorum incumbabat, non abjecisse, sed mutasse, & loco jugi lignei ferreum ipsis esse impositum. Loquitur id non solum illa præcipua scissio inter Theologos Protestantæ Saxonicos atq; Helveticos, quæ postquam odium capitale unius partis adversus alteram excitaverat, diversas sectas nomine, confessione, & ritibus distinctas fecit; sed & tot infinita schismata, quæ hætenus utramque partem iterum dilacerarunt, hoc abundè testantur. Horum originem & incrementa si consideres, omnia eò tanquam ad centrum reduci posse videntur, quod Clericorum nonnulli antiquum imperium in conscientias Laicorum sibi arrogare inceperint, eamque cupiditatem in non paucos discipulorum derivaverint. At hæc quidem intentio obtineri non poterat, nisi excitationis inimicitias inter Laicos ipsos; Ad has autem obtinendas & fovendas nil aptius visum fuit, quam si singulæ partes sibi solis genuinum & unicum habitum interpretandi scripturam attribuerent, dissentientes tanquam pessimos mortalium traducerent, populo Christiano fidem mortuam & Christianam humilitate vacuam inculcarent, & omnibus modis impedirent, ne vita verè Christiana introduceretur. Quantas turbas hoc cacoethes hætenus excitaverit vel in Lutherana Ecclesia, concipi magis, quam pro dignitate materiæ dici potest, cum profectò omnia damna, quæ bellis per seculum & ultra passi sumus, ex hac sentina malorum ferè unice propullulasse non difficulter ostendi posset; & in statu pacato seminaria Ecclesiæ & Rerumpublicarum, Academies idem in tantum corruperit, ut si per omnipotentiam divinam contingeret, ut Lutherus à mortuis resurgeret, easque visitaret, profectò magnam partem eorum, qui ad stabilendam istam infallibilitatem Theologiam & Philosophiam Scholasticam (Megalandro maxime, & jure quidem suo, exofas) in locum verbi divini collocarunt, & tamen sibi solis titulum genuinorum Lutheri asseclarum arrogant, tanquam spurios & ne quidem Christianorum

stianorum nomine dignos, divino Zelo sit ejecturus. Excitavit tamen Deus nostri misertus, aliquot Theologos veros, & de corrigendo isto ingenti damno sollicitos, qui non solum exemplo suo & doctrinâ Laicos & Clerum ad mansuetudinem & humilitatem antiquam revocare serîo allaborant, sed & scriptis aureis illos, quos doctrina & exemplum eorum erudire non poterat, ad vitam Christianam excitare non desinunt. Ut alios jam taceam, prostant publicè & cum maximo gaudio, sed tranquillo & Christiano, leguntur scripta *Domini Speneri* huc respicientia ferè omnia, præcipue verò ejusdem *pia desideria*, & non ita pridem typis impressa verè Theologica *præfatio de impedimentis Studii Theologici*, quibus eo major applausus datur à desiderantibus redintegrationem sanctitatis Christianæ, quo majori conatu ringunt & ora distorquent Pseudo Apostoli, sub indumentis ovium rapacitatem plusquam lupinam occultantes.

§. VIII.

Cæterum haud dubie consumeret parvum manipulum piorum ingens turba hypocritarum & impiorum, qui pietatem medium lucelli acqvirendi esse & sibi & aliis persuadent, nisi inexhausta benignissimi Patris Clementia ineffabili sua sapientia consilia eorum subinde elideret, & sæpius ex statu Politico instrumenta eligeret reprimendi nequitiam stultorum, qui dictis & factis exprimunt, quod Deum non agnoscant. Ac singularis adeò providentiæ opus est, quod Gloriosissimæ memoriæ princeps JOHANNES SIGISMUNDUS, Marchio Brandenburgensis & Elector, cum ad reformatam religionem se transtulisset, tali mente præditus, talibusque Ministris gavisus fuerit, qui ipsi non solum nullum odium adversus subditos Lutheranos svaderent, sed & optimum principem impellerent, ut Anno 1614. securitati communi, edicto publico pie prospiceret, in quo seriâ voluntate corrigere intendit magnos statûs Ecclesiastici nævos. Pervenerant enim ministrorum verbi non pauci eò audaciæ, ut adversus Christianos Evangelicos in interpretatione Scripturæ ab ipsis dissentientes pro concionibus voces calumniosas & injuriis refertas adhiberent, majoremque Zelum adversus eos ostenderent, quam adversus scortatores, temulentos, usurarios, avaros aliosque impios, ac ulterius doctrinam de vita Christiana & fidei articulis utriqve parti communibus seponerent, plurima ex scriptis humanis, paucissima ex verbo Dei proferrent, loco Theologicarum doctrinarum Philosophicas inculcarent, & ad quemlibet locum quamlibet controversiam obtorto collo traherent, ut solum prurigini litigandi, calumniandi, atqve disputandi possent satisfacere. Jusfit itaque Princeps piissimus, ut in posterum verbum Dei ex fontibus Prophetarum & Apostolorum & inde derivatis rivulis librorum symbolicorum publice receptorum sine mixtura glossarum ineptarum

*Emendata in
ditionibus Ele-
ctoralibus per
FRIDERI-
CUM WIL-
HELMUM
Magnum,*

eptarum, à curiosis & arrogantibus Theologis, primatum in Ecclesia
 & brachium seculare affectantibus excogitatarum, populo annun-
 ciarent, è contrario autem ab omnibus calumniis, imprecationibus,
 & abominationibus abstinerent. Utinam verò optima hæc inter-
 tio & voluntas principalis effectum suum plenè fuisset sortita! Ete-
 nim ut de Hydra Poetæ fabulantur: multiceps hoc monstrum eâ na-
 turâ fuisse præditum, ut unò capite detruncatò, plura renasceren-
 tur; ita cum vitiis quæ in integra aliqua societate altas radices ege-
 runt comparatum est, ut contra severitatem Principis majus incre-
 mentum sumere soleant. Quare totalis extirpatio hydræ hujus
 Herculi Brandenburgico, **FRIDERICO WILHELMO**, Magno,
 & Majoribus suis majori, à divina providentia reservata fuit, ut in
 quo admiranda sua opera pluribus modis ostendere voluit divina
 benignitas. Sive enim calamitates & angustias consideres, quibus
 initio imperii sui Brennicus ille Heros circumdabatur, easque cum
 potentia, gloria non vana, & ditionibus plurimis, quas successu tem-
 poris acquisivit, conferas, necesse est ut exclames: Dei hoc opus
 esse, humana consilia excedens. Sive propius attendas, subditos
 in tam vasto imperio genuino huic Patriæ Patri contigisse utriusque
 Protestantium religioni addictos, non errabis, si arbitraris, forte hoc
 ideo factum esse, quod Deus voluerit per civilem conversationem
 saltem à Laicis & Politicis initium facere, iisque ansam præbere, ve-
 ritatem certius penetrandi, cognoscendique, non distare adeò ani-
 mos Lutheranorum & Reformatorum, quam sibi persuadent ii, qui
 conversatione ista destituti & calumniis Pseudo Apostolorum sedu-
 cti sunt. Plura dicerem fusius, nisi justis rationibus inductus, ea in
 alium locum differenda judicarem. Ergo id saltem duobus verbis
 liceat addere, magnum Providentiæ divinæ mysterium in eo situm
 esse, quod in hac mixtura subditorum, non subditis Reformatis
 Principem Lutheranum, sed Lutheranis Reformatum & quidem
FRIDERICUM WILHELMUM donare voluerit. Ergo ut ad sco-
 pam redeam, postquam Potentissimus Electorprehendisset, non
 attentis Avi sui memoratis iussibus, non desuisse Cleri magnam par-
 tem ad populum increpationes istas & contumeliosa verba in dissen-
 tientes continuare, officiò boni Principis functus, & regulas, quas
 Medici in curando morbo corporis humani observare solent, imita-
 tus est. Si quidem primò anno seculi hujus sexagesimo secundo, in
 duorum edictorum eò tempore publicatorum uno Constitutionem
JOHANNIS SIGISMUNDI repetiit, in altero verò operam de-
 dit, ut fons omnis mali ita obturaretur, ne scaturigine sua provin-
 cias Electorales ulterius inficere posset. Deinde cum deprehende-
 ret, malum hoc contra iussa sua audentius ire, sub prætextu, ac si
 Princeps Optimus palam quidem promotionem pacis & tranqvilli-
 tatis communis præ se ferret, clanculum autem extirpationem reli-
 gionis

gionis Lutheranae intenderet, novo edicto 1664. pesti huic ivit obviam; in quo ut evidentissime demonstraret, æquali affectu à se Lutheranos pariter atque Reformatos amari; ita voluntatem suam declaravit, quod, quemadmodum serio nollet Reformatos à Lutheranis tanquam Calvinianos, Zwinglianos, hostes Majestatis, Sacramentarios, Sacramentorum contemtores, Manichæos, & ita porro traduci, iisque horrendas & impias consequentias, quas ipsi tamen constanter negarent, ac quasi longe alia credant, quam ore profiteantur, affingi; ita pariter ex altera parte Reformati erga Lutheranos à convitiis Ubiquistarum, Flacianorum, Marcionitarum, Pelagianorum, Eutychianorum abstinere, iisque similes consequentias ex Matæologia Scholastico-Aristotelica derivatas non imputare deberent, quodque pii viri singulari cognitione & pacis studio pollentes à neutra parte, ac si hypocritæ, Calixtini, Syncretistæ, & quid non? essent, debeant condemnari. Sensit Satanas, ultimo hoc edicto, magnum præsidium destrui sibi, præprimis cum ab iis, qui justam suspensionem adversus seipsum excitaverant, literæ reversales postularentur, & pauci, sub larva constantiæ contumaciam suam tegere & ita Clementissimum Patrem turpiter decipere cupientes, bonâ cum pace (at quid mitius fieri poterat?) dimitterentur, & alibi similes labris suis lactucas juberentur quærere. Hinc dici non potest, quæ stratagemata adhibuerit myriotechnites, ut piissimam intentionem Principis de salute subditorum suorum maxime solliciti frustraret, armis eam in rem potissimum chartaceis discipulorum suorum usus & sophismatibus ex armamentario Pseudo-Theologiæ Scholasticæ magnâ cum curâ conquisitis. Sed obtinuit tamen causa justa, & per Dei gratiam jam quidem in ditionibus Electoralibus istud calumniandi cacoethes, si non plane extinctum, saltem ita sopitum est, ut apertis faucibus non clament amplius Hæretifices, quamvis adhuc per insidias aliquando hisceant.

§. IX.

Quod si instituti ratio permetteret, omnes illas felicitates fusius ostendere, quæ ex observatione hujus Edicti in Rempublicam derivatæ sunt, integer tractatus vix sufficeret. At nunc quidem sufficiat, emolumenta quædam, quæ in nos Lutheranos inde redundarunt, non omnia quidem, sed magni momenti, breviter saltem, & quasi per indicem recensere. Si quidem, ut de Statu Ecclesiastico incipiam, cum antea verbum Dei penè seponeretur in suggestu, & loco ejus contentiones hominum rixosorum populo proponerentur, studium pietatis verò nunquam, vel rarissime, aut frigidissime inculcatur; jam à non paucis Theologia moralis & observatio vitæ sanctæ ex puris scripturarum fontibus vivò quandoque exemplò accedente, majori cum successu docetur, in specie verò quod Academies concernit, sperandum est magis operam duros esse in posterum

B

docen-

Felicitas subditorum Electoralium ex hac emendatione orta.

docentes pariter atque discentes scrutationi scripturarum, quam systematibus militaribus, seu polemicis antea receptis, quæ ipsa Biblia ex manibus studiosorum Theologiæ fere excusserant. Statum Politico facile cognosci potest, quantum utilitatis accesserit, si quis saltem meditetur, quantum diffidentiam inter Principem & subditos diversæ religioni addictos excitet persuasio mutua de alterius partis spontanea & præfracta malitia atque impietate, utpote quæ non potest non vinculum mutuum, sine quo Respublica intelligi nequit, si non plane rumpere, saltem enormiter laxare. Denique subditi ipsi ad se invicem quoad Statum Oeconomicum relati non majori delectatione frui poterunt, quam culturâ honestæ cum concivibus amicitia. At quomodo hanc colere possunt, si persuasi sint, concives alterius religionis esse magis contagiosos & noxios, quam bestias venenatissimas. Hac verò persuasione sublata tanquam ex profundo somno evigilantes quotidie nanciscuntur occasionem detestandi calumnias istas, quas à Mercenariis sibi antea imponi fuerant passi. Hic verò non possum non, quin obiter tangam vulgares ineptias, ut mitissime dicam, quamvis sint ineptiæ malitosæ: non frequentandam esse Lutheranis conversationem cum Reformatis, non visitandas conciones eorum, quia timendum sit venenum clandestine & ita periculossime inficiens. Non dicam, si quis hæc talia in ditionibus Brandenburgicis serio proferre velit, eum graviter peccaturum adversus Edicta Electoralia modò recensita, quæ maxime prohibent, ne quis Reformatos calumnietur, quod aliter loquantur, aliter sentiant, utpote cum id venenum clandestinum non alium sensum, quam calumniæ illius habere possit: dico saltem, cavillationem hanc maxime contumeliosam esse in ipsam Religionem Lutheranam. Quid enim? annon religio nostra antidoto gaudet adversus venena quæcunque? Agyrtæ, si populo efficaciam medicamentorum commendare volunt, venena deglutiunt impunè. Et nos, quæ religionem nostram salvificam esse profiteamur, timeremus, ne damnum patiatur religio nostra à veneno quocunque falsæ alicujus doctrinæ. Si Reformatorem conversatio, & conciones venenatæ essent, cur ipsimet non æquè conversationes & conciones nostras, tanquam veneno isti adversas fugiunt? Scimus enim æqualem esse antipathiam inter venenum & veneni medicamentum. Ergo valeant ejusmodi axiomata vanissima, & felicitas nostra etiam in eo fita est, quod per edictum Electorale læpius deprehenderimus apud Reformatos quoque in conversatione civili Viros piissimos & de damno Josephi maxime sollicitos, quodque in ipsorum concionibus subindè senserimus motus sancti spiritus, æquè ut in concionibus piorum Lutheranorum. Cæterum perpendamus & ista: Si utriusque religionis Ministri jussa Electoris Potentissimi observant, & vitam Christianam ex verbo Dei inculcant, non est cur Lutheranus horreat

reat conciones Reformatorum, quia hâc parte inter nos non est diffensus. Si utrobique doctrinæ, circa quas dissentimus, placide & absque calumniis proponantur, necesse est, ut vel ii saltem ex Lutheranis sibi metuant, qui in thesi sua, culpâ vel docentium vel propriâ non sufficienter sunt informati (quamvis & ejusmodi homines rarissime in schismata labi soleant, ut pote fide, quæ Carbonaria dici consuevit, contenti) vel, nisi aperte religionem nostram vilipendere velimus, ut æque speremus transitum Reformatorum ad nos, quam ut tantum transitum nostrorum ad illos metuamus. Quod si denique convicia & mendacia alterutra pars in alteram spargat, metuendum magis est, ut per prohibitionem ejusmodi transitus fiat ab una religione ad alteram. Nitimur in vetitum, secundum commune proverbium, & si igitur Lutheranus, cui commercium cum Reformatis tam serio à suis interdicitur, ex curiositate aut etiam casu incidat in conversationem & homilias Reformatorum, ac ibi deprehendat & palpet calumniam istam, facile accidere potest, ut mendacium Lutherani imputet, quamvis erroneè, Religioni Lutheranae, atque sic relictâ communionem nostram ad alteram transeat. Sic videmus plerumque eos, qui religionem mutant, inter causas mutationis magis recensere impietatem Cleri (at pertinet etiam ad impietatem calumnia & mendacium) quam ipsorum dogmatum.

§. X.

Transeamus jam ad emendationem status Politici. Triplex genus hominum per totum terrarum orbem dispersum est. Maxima pars dignitatem humanam detrusit in conditionem bestiarum non absimilem, & rationem jam per lapsum satis corruptam sic corrumpit ulterius, ut inter hominem & bestiam fere nulla præter figuram externam, in ipsis quidem, differentia deprehendi possit. Pauci homines sunt, qui humanæ dignitatis præ bestiarum gnari cultura societatis rationali tranquillitatem humani generis, ut vere homines promovent. Paucissimi mortalium ultra communem sortem actiones suas ad Deum spiritus sui sancti gratia elevant, iisque desiderium suum perveniendi ad unionem cum Christo exprimunt. Uti verò ad hunc ultimum & summum felicitatis humanæ gradum non sine abnegatione sui & humilitate summa ac mansuetudine quis pervenire potest; ita etiam ratio cujuscunque hominis dicitur, eos, quos ex vita bestiali ad vitam homini & civi decentem revocare volumus, non posse fortius incitari, quam si ipsis proponatur, non nisi per virtuosam vitam ipsos conservationem sui & verum honorem, cujus utriusque insignis cupiditas toti humano generi in præsentis statu indita est, consequi ac procurare posse. Nam per desiderium gloriæ & honoris homo magnam partem à bestiarum differt, & reverà in gloria vita illorum est, qui medios inter homines bestiarum sunt. Exinde facile intelligi potest sensus multorum dictorum, qualia sunt;

B 2

quod

Corruptio status Politici per opinionem vanam Gloria, unde Orta Duellorum frequentia.

quod vita & fama pari passu ambulent, quod propter famam conservandam vitæ periculum subire possimus, non verò debeamus ad conservandam vitam famam perdere, quorsum & spectat sententia Taciti: *contemptu fama contemni virtutes*: & Germanorum proverbium: *Guth verlohren/ Muth verlohren/ Ehre verlohren/ alles verlohren*. Fallor? an non & ideo communiter punctum honoris, *le point d'honneur* in omnium ore sit, ut denotetur, omnes actiones humanas ad honorem tanquam ad centrum in circulo esse referendas. Quemadmodum autem Diabolus tanquam summus decipiendi artifex sub schemate virtuoso & sancto se insinuare solet, ita & intuitu humilitatis Christianæ ac licitæ magnanimitatis se simiam Dei esse maximopere ostendit, sub pallio virtutum harum vitia & rationi & Christianismo è diametro adversa tegens. Maximi hypocritæ & ita simul maximi inimici vitæ Christianæ externis actionibus summam humilitatem mentiuntur: quos Ecclesiasticus tangit *cap. 19. Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo, & Salomon adjicit: Proverb. c. 26. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitia sunt in corde illius.* Superbissimi homines subinde honorum contemptum simulant, saltem ut rogentur, & à vulgo habeantur pro magnanimis. Tanta verò inter ambitionem & genuinam gloriæ cupiditatem differentia est, ut quemadmodum hæc ad excolendam virtutem maximè excitat, ita superbia sit scaturigo omnium vitiorum seu aberrationum à dictamine rectæ rationis. Sapientissimè Pacatus in Panegyrico Theodosii de Tarquinio Superbo: *Denique illum ipsum Tarquinium execratione postremâ hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine precipitem, avaritiâ cœcum, immanem crudelitate, furorè recordem, vocaverunt superbum, putaverunt sufficere conditium.* Ergo nil magis noxium generi humano introduci potuit, quam quod punctum ambitionis *le point d'orgueil*, penè in universo terrarum orbe invaserit thronum puncti honoris, *du point d'honneur*. Veræ magnanimitatis verique honoris studium optimè conjungitur cum mansuetudine, imò si sine mansuetudine sit, non est magnanimitas. At quæ magnanimitatem falsò profitetur, ambitio, vindictæ cupiditate perpetuò flagrat, mansuetudinis hostis declaratus est, & vincula omnia non dicam Christianismi, sed naturæ, maximo impetu rumpit & conculcat. Veram gloriam comitantur forinsecus pax, intra quies; Ambitio continuo stipata est motibus animum lacerantibus, litigiis, rixis, duellis. Nihil magis à ratione absolum excogitari poterat, quam per duella conservare velle aut reparare famam; nihil magis hominem bestiis assimilât, quam dimicationes privatorum ob injurias seu veras seu imaginarias, & nihil magis tamen in animis hominum, non vulgarium, sed procerum, sed principum ipsorummet tam profundè radicatum est, ut hætenus in Germania tot edicta, tot sanctiones severæ illud malum extirpare frustra laboraverint.

§. XI.

Sed non adeò mirandum est, cur hucusq; Constitutiones mul-
 tis vicibus iteratæ adversus Duella in Imperio Romano effectu pror-
 sus omni destitutæ fuerint, si quis modo causas inquirat, quibus po-
 sitis non potest non omne placitum Principis elidi. Hic verò de-
 prendet initio, inveteratam consuetudinem apud vulgus instar le-
 gis esse, eamque, etsi rem turpissimam stabiliverit, pro re sanctissimâ
 & inviolabili haberi, in tantum, ut omnibus viribus tentet, abroga-
 tionem illius, tanquam juribus & privilegiis quasi suis adversissimam,
 impedire. Et quid vulgus faciat, audeant cum talia eruditi & sa-
 pientes. Recordor hic *Wilhelmi Ribierii* Consiliarii Status apud Re-
 gem Galliæ quæ anno 1666. Parisiis edidit, duobus tomis, literas &
 monumenta status sub regnis Francisci I. Henrici II. & Francisci II.
 (*les Lettres & Memoires d'Etat sous les Regnes des Francois I. Henry II.
 & Francois II.*) easque subinde scholiis & additionibus quibusdam
 adornavit. Legitur ibi inter alia *Tomo I. p. 304. seqq.* Apologia pro
 permissionibus duellorum à Francisco I. indultis, in qua Autor non
 quidem id intendit, ut licentiam duellorum omnium defenderet,
 sed, ut saltem in specie ostenderet, permissionem duellorum judicia-
 lium, legibus divinis non esse adversam. Quo tamen in negotio vir
 alias eruditus, & cujus meditationes in sequentibus subinde nostras
 faciemus, talia adducit maximam partem argumenta, quæ & aper-
 tè sophistica sunt, & eorum pleraque, si probarent duellorum judi-
 cialium licentiam, apta quoque essent ad probandam justitiam reli-
 quorum duellorum extrajudicialium, quibus tamen nihil injustius
 esse modò asseruimus. Non pigebit potissima eorum, quæ dicto
 loco differit Ribierius, paucis excerpere. Postquam igitur præsup-
 posuisset *p. 304.* Duella judicialia antiquissimis temporibus in Gallia
 recepta & ferè Monarchiæ Gallicanæ coæva fuisse, itidemque eadem
 permisisse Ludovicum, quæ sancti nomen adeptus fuerit, subjungit,
p. 307. ex rationibus, ut ipse eas venditat, politicis; quod subinde
 melius sit conservare, aut permittere consuetudinem antiquatam,
 etsi pravam & abusui subjectam, quam eam mutare, eo quod mu-
 tatio causa sit aliorum malorum & rerum inconvenientium majus
 præjudicium facientium, quam quorum populus jam erat assuetus.
 Quodque omnis mutatio in republica sit periculosa, cum republi-
 ca sit instar ædificii, in quo variæ partes sic inter se junctæ sunt, ut
 unam sine vacillatione alterius non possis subruere. Nec esse adeò
 exiguam audaciam, si quis consuetudinem sic inveteratam abro-
 gare velit, quod illa quasi in alteram naturam abierit, & vim legis
 obrinuerit. Augustinum ipsum consulere Christianis ut accom-
 modarent se moribus regionum, in quibus degerent, ne vel scan-
 dalum aliis præberent vel ab aliis acciperent. Loqui ipsum de mo-
 ribus communibus, & non de fide aut vitiis per quæ Deus offen-

„ datur: ingentem enim differentiam esse inter mores corruptos, id
 „ est, notoriè à bonis improbatos & Magistratibus summis, & eos,
 „ quibus autoritas publica principis pariter & judiciorum ac obser-
 „ vantia plurium seculorum accessit. Nam, dicente S. Thomâ, ex-
 „ inde inferri potest, quod in ratione fundati sint, quia alias non po-
 „ tuissent tam diuturno tempore subsistere & senescere sub assensu
 „ summarum potestatum & personarum virtute conspicuarum. Ex
 „ ea ratione Philosophum quendam Stoicum, hoc est maximè seve-
 „ rum dixisse: *recti locum tenere errorem, ubi publicus factus est* &c. His
 „ non absimilia deprehendes p. 311. quamvis ea Autor aliunde ex quo-
 „ dam de la Marche recenseat. Duella judicialia esse necessitatis li-
 „ citæ, etsi per illa tentetur Deus, eademque repugnent legi, quæ ho-
 „ micidium prohibet, & ut alteri ea faciamus, quæ nobis ipsis fieri
 „ volumus, inculcat. Magis enim assentiendum esse approbationi
 „ communi tot imperiorum regnorum & principatum Christiano-
 „ rum. Neque esse rem novam, ut tentetur Deus ad probandam
 „ causam obscuram, & quæ testibus probari nequeat, cum multi ho-
 „ mines per probationes mediante ferro candente & aquâ fervidâ
 „ adhibitas se purgaverint ab imputatis criminibus, & tamen Deus
 „ probationibus ejusmodi quasi assurrexerit, &c. Non melius ipse
 „ Autor iterum procedit p. 319. ubi vult ad objectionem communem
 „ respondere: *non facienda scilicet esse mala, ut inde eveniat bonum.* Sic
 „ enim rem expedit: Ingentem & essentialem differentiam esse in-
 „ ter offensionem Dei quæ intendat acquisitionem commodi alicu-
 „ jus Spiritualis aut temporalis, & quæ intendat evitacionem offen-
 „ sionum majorum & peccatorum alias inevitabilium. Ultimam
 „ hanc actionem permissam esse, & imò pro sapienti & prudenti ha-
 „ beri æquè in Ethica ac Politica Christianâ, non quod Christianis-
 „ mus approbet ullum peccatum in se, sed quod in concursu duo-
 „ rum malorum, quorum alterutrum evitari nequit, minimum de-
 „ beat eligi & pro bono reputari. Sine hoc enim axioma indubi-
 „ tabili & in quo conveniant Theologi (Pontificii) non posse justifi-
 „ cari permissionem vitæ publicæ & liberrimæ meretricum in urbe
 „ Roma, ubi tamen sedes Ecclesiæ sit, neque sententiam Cardinalis
 „ Toleti, quod licitum sit dare argentum, ut procuretur electio boni
 „ Papæ, si alias metuendum sit, ut eligeretur indignus & incapax; &
 „ alio in loco approbare Toletum, quod quis optare possit mortem
 „ Hæresiarcharum & aliorum corruptorum animæ, ut per eos pro-
 „ bi non amplius infici possint. Imò circa quæstionem ipsam, de
 „ qua controversia sit, concludere & defendere Casuistas celeberrimi-
 „ mos, quod Principes possint quandoque & in certis casibus extra-
 „ ordinariis ob evitanda mala & scandala duella permittere, quæ ta-
 „ men purè & simpliciter considerata mala essent, cum actiones mu-
 „ tatis circumstantiis, etiam naturam suam & qualitatem mutare so-
 „ leant,

leant, & venena evadant medicamenta & remedia salutaria, si ap-
 plicentur ad curandos morbos & sananda vulnera &c. Et p. 320. "
 Regulas & formalitates quibus in iudicio locus sit, differre pro di-
 versitate temporis & regionis, sed Legem Legum, & Regulam Re-
 gularum esse, ut quisque observet leges patrias, aut ubi domici-
 lium fixit, iisque se submittat tamdiu, & obedientiam præstet, quam-
 diu superiores eas observari velint. Etenim nobis injunctum &
 mandatum esse expressis verbis, ut obediamus Principibus & Ma-
 gistratibus, non solum ob metum iræ, sed & propter conscientiam,
 quia ipsorum potestas sit à Deo, in tantum, ut, qui ipsis resistat, re-
 sistat ordinationi Divinæ, ejusque iram & condemnationem pro-
 vocet. Exinde inferri, Duella tandiu pro legitimis & quæ Deum
 non offendant haberi debere, quamdiu Reges & ordinationes ju-
 dicialium ea approbent, quæ ea præcedente causæ cognitione &
 deliberatione permittant, iisque etiam personæ Ecclesiasticæ se-
 cundum Edictum Philippi Pulchri assistere debeant &c. Neque
 obstare huic sententiæ (ita pergit. p. 321.) contradictionem Papa-
 rum quorundam & aliarum personarum piarum & eruditarum,
 quin & Conciliorum Nationalium & Provincialium; quippè ad ista
 indubitato tenendum esse, opiniones & decisiones Theologorum
 particularium aut etiam Synodorum Provincialium & Nationali-
 um, aut Paparum ipsorummet, quando non pronunciant ex cathe-
 dra, non obligare conscientias, principaliter, quando opinio con-
 traria nitatur autoritatibus similibus, nec formaliter condemnata sit
 vel à Concilio Oecumenico vel à Papa forma judiciali adhibita, ac
 observatis omnibus solennitatibus debitis &c. Accedere, quod
 etiam post Concilium Tridentinum (vide p. 324.) Duellorum illo-
 rum licentiam prohibens, multi Doctores Ecclesiæ & celebres Ca-
 sista defendant Duella in quibusdam casibus esse licita. Post sen-
 tentiam verò tot Theologorum optimæ notæ, puta Toletani, Na-
 varri, Soti, Dianæ, Banesii, Sanchezii, Conninkii, nullum amplius re-
 stare dubium, quin regibus competat potestas & autoritas legitima
 permittendi duella. Nam vel sententiis eorum, qui claves con-
 scientiarum nostrarum & scientias ad salutem necessarias posside-
 ant, quemcumque se debere submittere, credereque, quod illi sint
 melius instructi, melius illuminati, meliorique iudicio polleant, ac
 alii homines &c. Denique: (p. 329.) Duella olim consuetudine ea-
 dem approbante fuisse licita & sine offensione Dei, hodiè verò post
 prohibitionem facta esse illicita. Idque clare & affirmativè à S. Au-
 gustino in quæstione simili esse definitum, dicente; *quia tunc mos
 erat, peccatum non erat, nunc autem quia mos non est, peccatum est.* Et
 tamen noster Autor statim subjungit, actiones quasdam malas esse
 quia sunt prohibita, alias ideo esse prohibitas, quia sunt malæ, atque
 ad hanc ultimam classem pertinere Duellum, ut quod in se malum
 & illi-

„ & illicitum fit tanquam occasio proxima & voluntaria homicidii, &c. Nolo plura excerpere, cum hæc sufficere possint in declarationem ejus observationis, ad quas ineptias possit deduci vir etiam eruditus, qui defensionem rei alicujus non ex amore veritatis, sed excessu affectus alicujus abreptus, suscepit; & quantis absurditatibus referta sit Theologia moralis Scholastica, (ex qua videlicet potissimum argumenta Nostri vides esse petita,) ut adeo errare vix possis, si tibi persuadeas, eam, quanta quanta est, una cum Theologia Scholastica Systematica tanquam à capite ad calcem erroribus periculosissimis & præjudiciis refertas, ex Academiis Christianorum esse eliminandas. Non quidem refutabo prolixè ea quæ hucusque excerpfi, cum ejusmodi nugæ recensere simul sit refutare, & tot penè Sophismata contineantur iisdem, quot fuerunt lineæ. Illud saltem repeto: si inferrent eæ rationes quicquam pro justitia Duellorum judicialium, æque ex iis pariter defendi posse Duella extrajudicialia, præprimis quod ad argumentum de inveteratæ consuetudinis efficacia attinet. Nam æque inveterata consuetudo est in Germania, quod rixæ quotidianæ Duellis finire fuerint solitæ. Et quid non flagitii defendi posset ista ratione, ut quæ pro improba Italarum Venere, Hispanorum furacitate, crapula Nostratum & ita porro æquè militat, ac pro licentia Duellorum.

§. XII.

II. Si prohibitio
solum Academiis
respicitur,
non aulicis;

Sunt verò & aliæ rationes, propius ad Duella respicientes, quæ prohibuerunt, ut tot constitutiones & mandata hæctenus in Imperio publicata effectu caruerint. Invasit illa libido dimicandi per Duella non Statum Ecclesiasticum aut Oeconomicum, sed Politicum. Igitur si istud malum funditus eradicari debet, frustra quis id perficiet abscissione furculorum. Aula est (sub Aula verò & hic militiam comprehendendo) ex qua Duella irreperunt in Academiis. Frustra igitur erunt omnia edicta, etsi vel centies repetita, quæ studiosis tantum, Duella interdiciunt, permittunt aulicis. Mores aulicorum imitatur ex populo quivis, qui inter eos cives referri vult, qui præ aliis civilitati & urbanitati student: Maximè verò studiosus, animal ex genio seculi ferox & libertatem maximam in Republica affectans. Opinio quæ plerisque eorum insidet, quod ipsi sint materia, ex qua summi in republica officiales eudantur, singularia item privilegia, quibus studentes per tot secula gaudent, firmiter illis persuadent, ac si injuria ipsis fiat maxima, si ab exercitio quarundam actionum prohibeantur, quæ aulicis patent. Adde quod inter studiosos sint multi Aulicorum liberi, qui eo casu plerumque à pœnis beneficio parentum eximuntur, quæ inæqualitate semel inter personas, quorum status maximè æqualitate præditus est, introducta non potest non observantia legum ipsarum pedetentim labescere. Porro si Aulicos pariter & Studiosos respiciant leges Duellorum usum abolentes, legislator

III. Freqvens
dispensatio
aut panarum
remissio,

illi &

latoꝝ operam dare debet, ne facile dispenset, aut pœnam remittat iis, qui adversus legem peccarunt. Scio equidem, ad regalia Principis pertinere partim potestatem dispensandi, partim jus aggratiandi. Sed scio etiam, regulas Politicas velle ut Princeps, si ullis aliis, certè his Majestatis juribus moderatè utatur. Debent leges esse normæ universales subditorum in communi Reipublicæ utilitate fundatæ. Jam si dispensationes & exemptiones à legum istarum obligatione nimis frequentet princeps, sui contemptum in animis subditorum excitabit, cum omnis dispensatio præsupponatur ex causa justa debere fieri. Et ergo necessè erit, ineptam esse regulam, quæ plurima admittit exempla exceptionum. Quod si verò populus arbitretur sine justa causa à Principe dispensari, non poterit non hæc opinio in subditis provocare odium erga Principem tanquam male suo fungentem officio. At utrumque horum simul contemptum legum operatur. Similis est ratio, si Princeps exempla juris aggratiandi cumulet, quippe cum & hæc cumulatio apud subditos suspicionem generet, vel quod leges non sint tanti, quarum transgressio tot vicibus nullam pœnam mereatur, vel quod princeps sine justa causa erga homines delictis æquales tantam observet inæqualitatem. Quinimò utrobique fere necessè est subditos ad eam sententiam perducì, ac si Princeps legem ferendo joculari saltem voluerit, quo nihil magis perniciosum & ad contemptum & Principis & legum tanquam rerum maxime seriarum producendum aptum esse solet. Notari & huc transferri meretur discursus Cardinalis cujusdam Gallici, relatus à Ribierio. d. l. p. 326. Si le Roy de France, disoit il, veut tout de bon abolir les Duels dans son Royaume (*& levar il credito à questa bravura*) il n'a qu'à parler en sa Chambre & dans son Cabinet, comme il fait à son Parlement, & declarer hautement, que tels combats & coupe-gorges luy sont en horreur, & ceux, qui s'y plaisent, & en font exercice, tres odieux & en mepris. Qu'il n'estime pas tant les hommes par le coeur, qui leur est commun avec beaucoup de bestes brutes, que par l'esprit & la sagesse, qui leur sont communs avec les Anges. Il adjoustoit, qu'il ne suffisoit pas, que le Roy temoignast en parolles son indignation contre les Duellistes, qu'il y falloit joindre les effets, en les excluant des commandemens de guerre & des charges, & offices de sa Maison, leur faisant connoitre par leur propre experience, que la vraye vertu, qui met en estime les Gentils hommes aupres de leur Prince, consiste à faire de bonnes actions pour son service. quand l'occasion s'en presente, & non pas à en faire de mauvaises & contre ses deffenses. Et porro. p. 227. Les duels estans ainsi traittez de mespris & de l'indignation & disgrace du Roy, passeront bientost pour ridicules, & n'auront plus de cours & de credit entre les personnes de qualité; ils seront degradè de Noblesse. Mais si au lieu de tenir les Duellistes

ites pour des extravagans & temeraires, mutiens & seditieux; si le Roy au lieu de leur montrer un visage de souverain, qui doit & veut estre obey & reveré de ses sujets, les voyoit de bon oeil, & leur temoignoit en son Louvre estime & bienveillance; si sa Majesté souffroit, qv'en sa presence quelque indiscret parlast avantageusement de ceux, qui auront bien reussi en tels combats, ou au desavantage des refusans, imputant le refus à faute de courage, il ne faut point douter, que la Noblesse Françoise, qui naturellement est passionnée des bonnes graces de son Prince, & se pique de vaillance, & du point d'honneur par dessus toutes les nations du monde ne suivist plutôt les propres mouvements & inclinations de son Roy & l'air de sa cour, que de s'arrester aux menaces & rigueurs de ses Edits, quelque peril, qv'il y eut d'en encourir les peines en Justice, & partant il est bien certain, que le plus facile, le plus court, & assuré chemin en France pour parvenir à l'abolition des duels, c'est de les deshonnorer & diffamer. Ce qui depend de la personne même de sa Majesté, sa vive parole & sa conduite ordinaire en la dispensation de ses graces & faveurs contribueront encore d'avantage à decréditer & aneantir ce pernicious usage, que ne feront ses Edits, & les executions qui s'en feront tres-rarement en justice.

§. XIII.

Ulterius non sufficit pro præsentis rerum statu, si quis Princeps Duella ex ditionibus suis abolere velit, ut omnibus eadem severe interdicit, & ut non facile dispenset, aut pœnam legibus determinatam remittat, necesse est insuper etiam ut læsis de satisfactione ob injuriam illatam exactè & prudenter prospiciat. Grotius ubi de causis belli justificis in libro II. tractat, inter alia, ut demonstret propter illatam alapam, aut etiam propter inferendam, lædentem periculo mortis non esse subjiciendum, hunc in modum, ni fallor, philosophatur: Alapæ passionem non operari ignominiam, sed potius, si quis eam patienter ferat, honorem exinde ipsi esse proventurum. Consistere enim honorem in opinione de insigni alterius virtute. Jam cum & patientia virtus sit, & insignis patientia sit, alapam conçoquere, necesse esse, apud alterum honorem erga me excitari, si opinionem de insigni mea patientia concipiat. Sed ad istam Grotii sententiam notavit, ut opinor, Zieglerus. Philosophiam istam non esse ad genium vitæ civilis aptam. Et ita quidem est: Patienter ferre injurias, non Philosophiæ, sed Christianismi opus est. At Christianus legibus humanis, qui ipsius affectus coerceant, non habet opus, & qui legibus indigent reprimentibus actionum exorbitantiam, à verò Christianismo adhuc procul absunt, etsi medios inter Christianos vivant, & sic sublimem istam sapientiam non ferunt. Benè esset, si quisque in republica cum Seneca Contumelias contemneret *de vita beata cap. 26. Nullam mihi injuriam facitis, sicut ne Diis quidem hi, qui*

aras

aras evertunt. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Jupiter optimus maximus ineptias Poetarum, (quod ultimum tamen cum venia Poetarum dictum esto.) At cum plerique inter hodiernos Christianos affectibus suis abripiantur, & vindicta bonum sit, vita jucundius ipsa, necesse est, ut Princeps, dum defectus hos emendare studet, quantum salva justitia fieri potest, palato subditorum suorum civiliter ægrotantium se paulisper accomodet, & ut eo melius observantiam legum suarum obtineat, de satisfactione propter injurias acceptas læsis prospiciat. Prudenter iterum Ribierius d. l. p. 331. Tousjours le principal soin des Juges du point d'honneur doit estre, ce me semble, de renvoyer l'offencé pleinement satisfait, & notamment entre parens ou voisins, parceqve se rencontrans souvent ensemble, la qverelle se renouvelleroit facilement. Car les hommes sont hommes, c'est à dire fort sujets aux ressentimens & vengeances des injures, qv'ils ont receues, & sur tout les Gentils hommes portent impatiemment les moindres blessures & egratignures faites à leur honneur. De sorte, qv'ils recherchoient plustost les occasions de rentamer la playe, qve de demeurer honteusement sans satisfaction convenable à l'offence. Je dis cecy parceqve je scay d'original qv'aucuns d'eux se sont plaints du simple emprisonnement pour des injures atroces, qvi meritoient à leur advis une peine plus severe; la prison n'est point ignominieuse aux hommes d'epée, qvi sont jeunes, quand il ne s'agit qve de quelqve emportement de langue ou de main, & il est juste, qve qviconqve offense une personne de qualité dans l'honneur, soit puny au sien par quelqve soumission & reconnoissance, qvi marque sa faute & indiscretion. Je ne scay pas meme, si pour les coups de main & de baston ou canne il ne seroit point necessaire de renouveler l'ancienne Loy du talion, ou du moins, qve l'offencé pust lever la main tenant aussi une canne ou baston, si l'autre en avoit usé, sans toutes fois, qu'il luy fust loisible d'en toucher, à peine d'estre traité de même à l'instant. Deniqve non solum operam dabit Princeps, ut læ-
v. Impotentia defendendi subditos adversus injurias exterorum.
 dentes, qvi ipsius subditi sunt, ad satisfactionem læsis dandam adigat, sed & curabit, ut & subditis suis honor & existimatio illæsa maneat, si exteri injuria & contumeliâ eos afficiant. Est enim finis omnium Rerum publicarum, ut quisqve tam adversus externam, quam internam vim sit securus, & maxime quidem adversus externam, cum merus hujus violentiæ sit vera & unica causa constituendæ civitatis, (non natura humana ut Peripaterici dicto Philosophi sui, quod homo sit natura animal politicum, abutentes, ineptiunt, undè & non magis aptè respublicas in statu integritatis sibi per somnium finxerunt.) Cæterum ut Princeps eos, qvi famæ & honori aliorum insidiantur, & subditi ipsius sunt, in ordine retineat, ferè in potestate ipsius situm est, ut subditis adversus injurias exterorum prospiciat, non semper
 C 2
 ipsius

ipsius arbitrio est relictum, præprimis si vicini Principes potentiores sint & justitiam Domino læsi denegent, aut facta subditorum suorum planè approbent. Svadet enim sæpius utilitas Reipublicæ, ne ob injurias privatorum, etiam graviores, Princeps alteri bellum inferat. Quare facile patet, etiam si Princeps aliquis imperii severissimè Duella interdicit, & subditos suos etiam contra mandata sua facientes acriter coerceat, non magnum tamen effectum de edicto suo eum sibi polliceri posse, si Principes alii habenas huic impotenti libidini laxent, & subditi adeo ejus quotidianis calumniis vicinorum nobilium exponantur, nisi Deus ei simul ejusmodi potentiam indulserit, ut non facile timere debeat, ut Principes vicini de contumelia subditis suis illata, justitiam ipsi adversus subditos proprios sint denegaturi.

§. XIV.

Emendavit hunc novum status Politici FRIDERICI III. Sapiens.
 Ergo simul mirari quis desinet, cur Potentissimus Elector noster FRIDERICUS III. Sapiens rem adeo desperatam de novo aggredi non desperaverit, & ante biennium, anno 1688. mense Augusto severissimum edictum adversus Duella publicari curaverit, siquidem cuilibet, qui vel saltem obiter tenorem edicti hujus inspexerit, ad oculum statim patebit, omnes istas rationes, quas §§. duobus præcedentibus enumeravimus, ibidem maxima cura fuisse evitatas. Etenim initio hoc Edictum non solum studiosos in Academiis, sed omnes status Politici proceres respicit, per verba expressa Articuli 4. *keiner/ er sey Hoff-Civil-oder Kriegsbedienter/ hohes oder niedrigen Standes/ Adelsich oder Unadel/ Fremder/ oder Einheimischer &c.* Deinde plurima argumenta maxime seriæ voluntatis, & quod Princeps Optimus dispensationem nullam hic admittere velit, inibi continentur. Siquidem ei, qui alterum solum ad duellum provocaverit, perpetua degradatio ab officiis, quibus fungitur, unâ cum mulcta aut incarceratione est injuncta. Quod si officio careat, dimidia parte omnium suorum reddituum per triennium privari & insuper triennali incarceratione, aut si opibus destituatur, sexennali condemnatione in opus publicum puniri debet (artic. 5.) similique pœna provocatus, etsi solum literas provocatorias suscipiat, aut duellum cum provocante condicat, est afficiendus. (artic. 6.) Quod si duellum fuerit consummatum, utraqve pars per processum summariisimum capitali pœna, nobilis quidem decollatione, alius suspendio, corpora defunctorum inhonesta sepultura infamari & bona eorum confiscari jubentur (artic. 7.) Patrini & qui partes secundas in Duello sustinent, item internuncii, æqualem pœnam metuendam habent; quin & ministris & famulis, quibus quis in provocandis aliis quandoque utitur, aut si illi Dominis suis scientes arma ad duellandum afferant, item machæropœi, qui gladios elocare solent, pœnam damnationis in opus publicum per biennium aut triennium expectabunt (art. 9.)
 imò

cujus Edictum universum statum Politicum respicit,

seriamque voluntatem principis optimi declarat,

imò ne quidem sp. Etatores impunitatem sibi promittent, quippe degradatione officiorum & quartæ partis bonorum confiscatione coercendi. (artic. 10.) Ut verò omnem spem dispensationis aut aggratiationis plane præscinderet Proceribus suis Dominus noster Clementissimus, significantissimis verbis & in Principe, si non majori certe æquali effectu eum juramento gaudentibus in ultimo articulo est usus: So geloben und versprechen wir hiermit/ bey unserm Eburfürstlichen wahren Wort/ daß wir hierunter mit niemanden/ wer der auch seyn möchte um einigerley Ursachen willen/ wie dieselbe ersinnet oder erdacht werden könnte/ conniviren oder nachsehen/ weniger die gesetzten Straffen erlassen/ noch etzigen pardon oder Gnade dießfals ertheilen wollen. Wir verbieten auch allen und jeden/ wes Standes oder Würden die auch seyn möchten/ daß sich niemand unterstehen sol/ in dergleichen Fällen einige intercession oder Vorbitte bey Uns einzulegen/ was auch für eine Sache/ Gelegenheit oder Anlaß darzu geben könnte/ als zum Exempel die glückliche Entbindung Unserer Gemahlin/ die Geburt oder Heyrath eines Unserer Prinzen oder Prinzessinnen oder anders dergleichen/ alles bey Vermeidung Unserer indignation und Ungnade. Et quamvis alias Principes non adeo severe animadvertere soleant, in eos, qui lingua maledica leges ipsorum tradunt, singularitas tamen rei, de qua hic agitur, poposcit, ut & nis in fine pro diversitate circumstantiarum poena incarcerationis, multæ, degradationis, & ita porro imponeretur, qui eo audaciæ progressuri sint, ut adversus hanc constitutionem, aut eos, qui eidem debitam obedientiam se submissuri sunt, quicquam contumeliosi aut ironici proferre tentent. Similem animi se veri declarationem in Rege suo laudat Ribierius d.l. p. 327. Le Roy s'est obligé en foy & parole de Roy, & par serment solennel à Dieu de maintenir son Edit contres les Duellistes avec une fermeté inflexible, & n'exempter aucun d'eux des peines y contenues par quelque cause & consideration que ce soit, generale ou particuliere. Loqvuntur autem exempla non una & illustria quidem, quam cordi sit ista salutaris clausula Electorali Potentissimo, quæ cum in vulgus nota sint, non opus est ut pluribus eorum hic injiciatur mentio.

§ XV.

Tertio in Articulo 11. ipse Sapiientissimus Legislator observationem quam §. 13. dedimus, disertè inculcat, non posse videlicet Edictum hoc salutare ad executionem perducì, nisi lætis satisfactio debita procuretur. Unde præcepit ut omnes injuriæ, siue verbis, siue indecenti corporis figura factæ fuerint, vel deprecatione, vel palinodiâ, vel degradatione, aut multâ, aut incarceratione, relegatione &c. puniri debeant. Minæ, manu aut baculo factæ incarceratione annua lui jubentur adjuncta publica deprecatione & multâ. Injuriis realibus & alapis, ac reliquis, quæ manu infliguntur,

siquidem ad eas quis ab altero calore rixæ provocatus sit, pœna triennalis incarcerationis, sin minus, per quadriennium, dictatur, & ita quidem ut ante incarcerationem lædens in præsentia personarum honoratarum, læso ad recipiendas similes injurias se offerat, atque declaret, se maximè irrationabiliter & bestiali more ad verbera progressum fuisse &c. Quod si alteri verbera scuticâ aut baculo fuerint data, non multum absimilis processus observari mandatur, nisi quod ille, qui præmeditato animo alterum, omnia alia suspicantem, baculo invaserit, siquidem id in conspectu ejus factum fuerit, quindecimali, sin à parte postica, vicennali incarceratione jubeatur pœnam dare. Ultimò promittit etiam & cavet Potentissimus Princeps noster subditis suis adversus injurias exterorum articulo 6. in fine: verbis: Im Fall auch der Provocant sich nicht in Unsern Landen befindet/ noch Unser sondern einer andern Herrschafft unterthan wäre/ als denn wollen Wir so fort auf des provocati unterthänigste notification Uns seiner auff's ernstlichste und nachdrücklichste annehmen/ und es durch Unsere requisitorialia und intercessionalia dahin befördern/ damit dem provocato gebührende satisfaction verschaffet werde. Et quamvis disertis verbis similia non promiserit Pater Patriæ, si quis ab extraneo injuriis & contumelia fuerit affectus, non tamen nisi malè sanus dubitare potest, quoniam, qui tantâ curâ prospexit suis, qui saltem ab extraneo provocati sunt, & ita, ut ordinariè contingit, ipsimet non sine culpa omni esse solent, Idem etiam multò magis plane innocentibus & graviter læsis satisfactionem omni modo sit procuraturus. Et qui non suis opem ferret Princeps Dei vicem in his terris gerens, cum eâ potentia & voluntate à Divino Numine sit beatus, ut externis, potentia majorum, injuste oppressis asylum tutissimum præbeat atque refugium.

§. XVI.

Ergo ô nos iterum felices, quos securos esse jubet de salute nostra Edictum hoc salutare. O felices ditiones Potentissimi Principis nostri præ ditionibus aliorum Principum, quæ subinde homicidiis per duella inquinantur; homicidiis inquam, quæ tanta abominatione persequitur Divinum Numen, ut, cum intuitu reliquorum delictorum justam pœnarum impositionem cuilibet Principi ex utilitate singularum Rerumpublicarum determinandam reliquerit; huic soli ipsum per legem Noacho, humani generis restauratori, publicatam, & sic universum genus humanum obligantem pœnam sanguinis imposuerit. At felices vel maxime Academies Brandenburgicas, cum non frequentia magis, quam iis in locis duellorum, & homicidiorum exempla aliàs soleant occurrere, non amplius in nostris metuenda. Felicem statum universum Politicum, qui hoc demum modo paulatim mansuetudini, hoc est virtuti ad Christianissimum proxime accedenti assuescit, & propius hoc pacto à Regno Dei abesse

etiam adversus injurias exterorum.

Felicitas nostra ex isto edicto.

etiam

abesse incipit. Ridendi adeò erunt quam maximè, quibus non est ad palatum constitutio hæc sapientissima, quod detrimentum ali-
 quod inde accedere Academiis vel potius marsupiiis propriis pu-
 rent, eò, quod evidentiâ teste studiosorum numerus post hoc Edi-
 ctum hinc inde fuerit imminutus. Ignorant profectò affectatâ igno-
 rantiâ, salubriorum medicamentorum omnium eam esse naturam,
 ut res corpori noxias expellant, & quæ adeò Edictum hoc rixatores
 & carcinomata Academiarum quoque non expelleret. Utinam,
 verò tota respublica per severissimas leges alias simili modo ab o-
 mnibus truncis, & qui fruges consumere nati sunt, ac improbis pur-
 gari possent. Multitudo civium societates non reddit beatas, sed vir-
 tus. Nec potest non magnum incrementum juventutis studiosæ
 expectari ab Academiis ita hac parte restitutis in integrum; præpri-
 mis si aliæ extra Electoratum Academiae non simili modo à malo
 isto inveteratò liberentur. Sed absit tamen, ut utilitatem nostram
 præferentes utilitati communi Imperii istud optemus. Quin po-
 tius speramus fore, ut & aliis in locis Principes ac Status imperii imi-
 tari incipiant saluberrimum exemplum Salomonis nostri, & frivo-
 lam ministri statûs de impossibilitate hujus rei, aut damnis inde in
 rempublicam redundantibus abjiciant opinionem. Altiores radi-
 ces egerat hoc malum in Gallia, quam apud nos, quippe cum ibidem
 res in talem furorè abierat, ut & partes secundæ, quæ curare de-
 bebant, ut ipsæ partes principales eò facilius conciliarentur, ipsæ
 met se invicem aggredierentur, & ita sæpissimè contingeret, ut san-
 guine proximi, amici singulares, sine ulla odii aut iræ causa manus
 confererent, & magis belluæ, quam bestię ipsæ, se mutuò necarent, ac
 in hoc more insulissimo punctum honoris quærerent. Et tamen
 vix severo Edicto interdixerat duella Rex Gallię, cum statim testan-
 te Ribierio *d. l. p. 329.* potissima pars nobilitatis Gallię animos emen-
 daret suos & justis Regis mandatis voluntatem & actiones suas sub-
 mitteret. Idem memorat *p. 331.* erroneè à quibusdam defensum
 fuisse: postulare rationem status, ut duella indulgerentur, & ut ho-
 stem sibi quisque paret dum bella quiescunt, ne videlicet nobilitas
 Gallica, si ardorem nativum & inquietum animum erga pares ver-
 tere nequeat, eodem damnum inferre intendat superioribus. Sed
 rectè subjicit: Seditones & bella civilia nullo tempore magis floris-
 se, quam illo, ubi Duella erant permessa, quippe cum ista permissio
 non reddat homines pacificos, sed maximè temerarios, & turbis pa-
 triæ se ingerendi promptissimos. Monomachiæ pariunt lites inter to-
 tas familias, ex his factiones oriuntur, ex factionibus subito bellum
 civile tota regna & provincias invadere solet. Non multum absi-
 mile à priori est illud falsum, fortitudini bellicæ obesse duellorum
 abrogationem, quippe effœminatos reddi animos civium, nisi assvefi-
 ant in pace bellis privatis. Hic equidem non urgebo, quod iterum
 regerit

regerit Ribierius p. 332. Lanistas ac Palæstritas ad bellum esse ineptissimos, cum non sint ad veti igni & sono tormentorum. On les à veu, ait, n'estans pas aguerris & accoustumez au feu & au bruit des Canons & mousqvets trembler dans les tranchées, baissér la teste, & se prosterner en terre par frayeur des mousqvetades, qui passoient neantmoins bien haut par dessus leurs testes & ne leur pouvoient nuire. Si en leur presence on agitoit quelqves propositions & qvestions de guerre, ils en parloient si impertinemment, qv'ils se rendoient ridicules. Ils ne sçavoient non plus qve de simples bourgeois nouvellement arméz, & enrolléz en la milice, comme il faut assieger ou defendre une place, la fortifier tant au dedans qv'au de hors, former des escadrons de Cavalerie & des bataillons d'Infanteries, les faire marcher en ordre, bien camper & poster selon la diversité des temps & des lieux & avoir connoissance des ruses de guerre, soit pour s'en servir ou pour s'en garentir. Quamvis enim hæc à veritate non aberrant, attamen illud adhuc magis hoc loco considerationem mereri videtur, quod fortitudo bellica non tam consistat in defensione corporis adversus periculum mortis, quam in patienti sustinentia caloris, frigoris, famis, sitis, vigiliarum, laborum maximorum, aliorumqve infinitorum incommodorum, quæ Duellantes & rixatores Academici, utpote otio & pigritiâ toti infecti omnium minime perferre queunt. Confirmat dicta validissime articulus I. Edicti Electoralis, verbis: Die Erfahrung hat es geweißet/ daß diejenige/ so dergleichen unzuläßige Händel anstiffen/ und nicht ruhen können/ bis sie ihren Nächsten/ ja wohl die allerbesten Freund aus vergassetem und böshafften Gemütche collidiren und zusammen begen/ keines genereusen und auffrichtigen Gemütchs seyn/ sondern weilen sie sich gemeiniglich nur auf Fressen/ Sauffen/ Spielen und ein liederliches Leben begeben/ und incapable seyn dem Vaterlande einige erspriessliche Dienste zuerweisen/ als suchen sie nur andern ihre offft saur erworbene Ehre und guten Nahmen abzuschneiden/ und sie in allerhand Unglück und Schaden/ ja wohl gar umb Leib und Seele zubringen.


TANTUM.

COROLLARIA.

PPrinceps Christianus circa nullum delictorum Levitici XVIII. prohibitorum dispensare potest. Dissentit Dn. Calixtus de hæresi & schismate p. 138. & in addendis circa finem subjectis.

2. Collegia Pietatis hæctenus in nonnullis Germaniæ locis frequentata, si intra terminos hucusq; receptos maneant, nec Ecclesiæ, nec Magistratui jure suspecta esse poterunt. Dissentit Id. ibid. p. 204.

3. Hypocritæ ex præscripto Salvatoris ex fructibus, non doctrinæ, sed operum, cognosci possunt & debent.



Wm

MC



inferat,
præest, a
reddat se
bellum F



IME
SSIME
R
MARCHION
SACRI R
ARCHICAMER
PRUSSIE, MAGI
MONTIUM, STET
BIORUM, VASID
IN SIESSA C
BURGGRAV
m boni Principis,
ello cogitet, id est,
to animi sui curas
on quomodo vici-
ta causa bellum
empublicam, cui
onibus vicinorum
equividem & circa
at hoc ita suscipia-
tur,

